DE

GRÆCORUM CIVITATUM DIVISIONIBUS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM BASILIENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ACHILLES BURCKHARDT

BASILIENSIS.

BASILEÆ

TYPIS CAROLI SCHULTZII ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

MDCCCLXXIII.

GUILELMO VISCHER

PIETATIS CAUSA.

In plurimis fere Græcorum civitatibus cives non indivisam incompositamque multitudinem hominum fuisse multis et certis testimoniis constat, ita ut etiam de iis idem statuere liceat, quarum de his rebus nulla memoria ad nos pervenit. Quæ quidem divisiones aut natura (*φύσει*) aut arte *(τέχνῃ)* factæ sint necesse est. Qui autem Aristotelis sententiæ de civitatis origine assentiuntur, vetustissimas civium discriptiones »*φύσει εἶναι*« haud dubie judicabunt. Aristoteles enim primum rei publicæ fundamentum familiam *(τὴν οἰκίαν)* esse statuit, qua aucta vicum oriri. (Aristot. pol. I, 2.) *μάλιστα δὲ κατὰ φύσιν ἔοικεν ἡ κώμη ἀποικία οἰκίας εἶναι.* Cui rei congruit, quod in veteribus rebus publicis et in Græcis multis et in Romana familiæ *(οἰκίαι)* gentes *(γένη)* deinde gentium quarundam societates: curiæ *(φρατρίαι)* et tribus *(φυλαί)* civium divisiones occurrunt. Quod si in nonnullis rebus publicis præter has aliæ etiam, alia quadam ratione factæ partes commemorantur, hæ omnes inferiore ætate institutæ esse putandæ sunt, qua in re id quidem tenendum est, divisiones ex loco petitas sæpenumero cum iis, quas dicimus gentilicias, consentire, quia, quum plurimi homines in agris sedes haberent et solum commercii causa in oppida convenirent, qui ejusdem gentis erant, eodem quoque loco habitare solebant.

Vetustissimam harum rerum notitiam ex Homero haurimus, quam admodum tenuem esse non mirandum est, si cogitamus, quam multus sit Homerus in regibus et

heroibus depingendis, quam raro autem de populo loqui aut velit aut possit. Il. II. 362 Nestor Agamemnoni suadet:

κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, κατὰ φρήτρας, Ἀγάμεμνον,
ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγῃ, φῦλα δὲ φύλοις

Sed multo gravius argumentum verbis mihi inesse videtur, quibus Nestor eos exsecratur, qui intestinum bellum moveant: in Il. IX. 63.

ἀφρήτωρ ἀθέμιστος ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος . . .

ubi qui phratria caret a civitate et omni hominum usu excludi dicitur. Quo modo autem ipsi Græcorum ingenio innatum fuerit, ut, ubi *πόλις*, etiam tribus essent, Antinoe Aegypti et Hadrianopolis Thraciæ urbes ostendunt, in quibus, quamvis demum ab Hadriano conditis, hasce tamen divisiones invenimus.

I.

Quum igitur de civitatum Græcarum divisionibus disserturus sim, mirum foret, si non ab Atheniensium institutis inciperem, quorum cognitio et veterum scriptorum testimoniis maxime adjuvatur et a nostri ævi viris doctis diligentissime indagata est. Ad has autem res in libelli mei initio expositas postea, cum de ceteris civitatibus, quæ mihi conferre contigit, dicturus sim, quasi ad certam normam recurrere mihi licebit. E grammaticorum notis intelligimus, civitatem Atheniensium quodam tempore constitisse ex IV tribubus, XII phratriis, CCCLX gentibus, CCIƆƆDCCC familiis. Qua de re conferenda sunt Etym. Magn. 226. 13. *γεννῆται: γένους ἐστὶ σύστημα ἐκ τριάκοντα ἀνδρῶν συνεστὸς οὗ οἱ μετέχοντες ἐκαλοῦντο γεννῆται.* Pollux. VIII. 111. *ὅτε μέντοι τέτταρες ἦσαν αἱ φυλαὶ εἰς τρία μέρη ἑκάστη διῄρητο, καὶ τὸ μέρος τοῦτο ἐκαλεῖτο τριττὺς καὶ ἔθνος καὶ φρατρία. ἑκάστου δὲ ἔθνους γένη τριάκοντα ἐξ ἀνδρῶν τοσούτων ἃ ἐκαλεῖτο τριακάδες.*

Qui autem numeri non tam arte constituti quâm natura oblati esse videntur. Nam cum aliquando, nescimus quo tempore, sive judices sive senatores per gentes creari placeret, ut tricenis familiis gens constaret, ab Atheniensibus sancitum est, qui tum re ipsa ad hunc numerum perducebantur, (cf. Philippi Beiträge zu einer Geschichte des attischen Bürgerrechts p. 218) et simili ratione phratriis tricenæ gentes tribuebantur. Jam breviter de gentibus agendum est. De familiarum numero praeter locos supra laudatos agunt Hesych. v. *ἀτριάκοστοι· οἱ μὴ μετέχοντες τριακάδος Ἀθηναῖοι.* idem v. *ἁ μερία· τριακάδες δέκα* idem v. *μέρεια· φυλῆς μέρος ἐκ δέκα τριακάδων συνεστός* idem *ἔξω τριακάδος*. Omnibus his locis *τριακάδες* commemorantur, quas societates XXX partium fuisse ipsa verbi forma indicat; similia sunt *ἑβδομάς μυριάς*. Hasce gentes antiquissimis temporibus viguisse et re ipsa perspicuum est, quia majores partes ex minoribus nascuntur, et eo confirmatur, quod jam Solonis ætate pæne obsoletæ fuerint. Nam quum antea nemo civis Atheniensis esse posset, nisi qui genti alicui adscriptus esset, et, si quis sine agnatis heredibus mortuus esset, gentiles hereditatem acciperent [1], novis Solonis legibus et gentiles hereditatibus depulsi sunt et ipsa gentilitas condicio civitatis esse desiit, (cf. Plut. Sol. 21. Arist. pol. VIII. 8 (Bekker) Philippi l. l. 136. 186 191. 197) etsi et illis temporibus pueri nobiles vetere stirpe nati ad gentiles *(γεννήτας)* a patribus introducebantur (ibid. p. 169). Sed quo magis ad primordia civitatis Atheniensium accedimus, eo graviorem locum gentes obtinent; multi pagi ex gentibus, quæ nondum dispersæ erant, nomina acceperunt. Singulas autem gentes in Attica olim

---

[1]) cf. legem XII tabular. apud Bruns. fontes iuris Rom. antiqui p. 8. § 5. Gai. III. 17. Si nullus agnatus sit, lex XII tabularum gentiles ad hereditatem vocat.

proprias respublicas effecisse haud probo; sed hoc non negaverim, eas per longum temporis spatium in plurimis rebus sui juris fuisse, quamvis hunc statum conjectura solum ex iis quæ tradita sunt, assequi possimus. Quum autem a Solone novi cives recepti veteribus gentibus adscribi earumque sacris participes fieri nequirent, necesse tamen esset, eos, quando quidem cives erant, sacrorum jure omnino non carere, orgeonum nomine sodalicia instituta sunt, quæ una cum veteribus gentibus sacra haberent. (cf. Et. M. 226. 13. 629. 22. Schöm. antiq. iur. publ. Gr. p. 209 s.).

Phratriam vero e XXX gentibus olim constitisse Pollucis l. l. docet, ubi *φρατρία* explicatur verbo *ἔθνος*, et deinde traditur; *ἑκάστου δὲ ἔθνους γένη τριάκοντα.* De numero phratriarum loquuntur Et. M. 768 v. *τριττύς* cf. ibid. 799. 28. v. *φράτορες* Steph. Byz. v. *φρατρία.* Phratrias quoque regionatim descriptas fuisse, Schömanno ant. i. p. 166 probabile est; sed hoc vix concedendum erit, XII oppida, quæ a Strabone nominantur p. 397. sedes phratriarum fuisse:

Τοσαῦτ᾽ οὖν ἀπόχρη προςθεῖσιν ὅτι φησὶ Φιλόχορος πορθουμένης τῆς χώρας ἐκ θαλάσσης μὲν ὑπὸ Καρῶν ἐκ γῆς δὲ ὑπὸ Βοιωτῶν, οὓς ἐκάλουν Ἄονας, Κέκροπα πρῶτον εἰς δώδεκα πόλεις συνοικίσαι τὸ πλῆθος, ὧν ὀνόματα Κεκροπία Τετράπολις Ἐπακρία Δεκέλεια Ἐλευσὶς Ἄφιδνα Θόρικος Βραυρὼν Κύθηρος Σφηττὸς Κηφισιά . . . (deest unum nomen, quod in recentioribus codicibus verbo *Φαληρός* completur) *πάλιν δ᾽ὕστερον εἰς μίαν πόλιν συναγαγεῖν λέγεται τὴν νῦν τὰς δώδεκα Θησεύς.* Rem publicam Atheniensium commigratione *(συνοικισμῷ)* ortam esse, summus auctor Thucydides tradit II, 15. *ἐπὶ γὰρ Κέκροπος καὶ τῶν πρώτων βασιλέων ἡ Ἀττικὴ ἐς Θησέα ἀεὶ κατὰ πόλεις ᾠκεῖτο πρυτανεῖά τε ἐχούσας καὶ ἄρχοντας . . . ἐπειδὴ δὲ Θησεὺς ἐβασίλευσε . . . τά τε ἄλλα διεκόσμησε*

τὴν χώραν καὶ καταλύσας τῶν ἄλλων πόλεων τά τε βουλευτήρια καὶ τὰς ἀρχὰς ἐς τὴν νῦν πόλιν οὖσαν ἓν βουλευτήριον ἀποδείξας καὶ πρυτανεῖον ξυνῴκισε πάντας . . . Thucydides commigrationem XII oppidorum aut non nosse aut non probasse videtur; de iis autem, quæ Strabo Philochoro auctore enumerat, facere non possum, quin Philippii judicium sequar (p. 256), qui nomina, quæ Etym. Magn. et Suidas tradunt (Etym. M. v. *ἐπακρία χώρα*. Suid. v. *ἐπακτρία χώρα*: *Ἀθηναίους πάλαι κωμηδὸν οἰκοῦντας πρῶτος Κέκροψ συναγαγὼν κατῴκισεν εἰς πόλεις δυοκαίδεκα. Καὶ τὴν τῶν πολιτῶν ἐπωνυμίαν ἀφ᾽ ἑαυτοῦ Κεκροπίαν προσηγόρευσε. δύο δὲ τετραπόλεις ἐκάλεσεν, ἐκ τεσσάρων πόλεων ἑκατέραν μοῖραν καταστήσας. τρεῖς τὰς λοιπὰς ἐπακρίδας ὠνόμασε, καὶ ἡ προσεχὴς χώρα ταύταις ταῖς τρισὶν ὁμωνύμως αὐταῖς ἐπακρία ἐκαλεῖτο*), potius ad Philochorum referenda, oppidaque a Strabone enumerata pro duabus illis »*τετραπόλεσι*« et pro tribus Epacriæ oppidis a posteriore quodam supposita esse ostendit, præsertim cum in antiquissimis libris nomen duodecimum omissum sit. Quod si conceditur, antiquissima Atticæ regionis condicio publica erat, ut fuerint quattuor non magnæ civitates: duae *τετραπόλεις*, tripolis Epacriæ Cecropia sive Athenæ, quas non alias fuisse, quam veteres illas quattuor tribus iam ex eo collegeris quod et posteriore tempore *φυλοβασιλεῖς* commemorentur, (cf. Poll. VIII. 111. *οἱ φυλοβασιλεῖς ἐξ εὐπατρίδων ὄντες μάλιστα τῶν ἱερῶν ἐπεμελοῦντο*) quos olim summos harum civitatum magistratus fuisse probabile est. Si autem eo pervenimus, demonstretur necesse est, antiquissimas illas tribus per regiones descriptas fuisse, quia sine certis finibus civitas, quæ sui juris est, cogitari non potest. Quod quidem iam dudum a Schömanno aliisque factum est. Apud lexicographos enim notissimæ illæ Attici agri regiones Acte Mesogeia Diacria Paralia *φυλαί* appellantur (cf. Steph. B.

v. Ἀκτή· ἐπὶ Κέκροπος φυλῶν τεσσάρων οὐσῶν δύο προςηγόρευσεν Ἀκταίαν καὶ Παραλίαν. v. Διακρία φυλὴ τῆς Ἀττικῆς. et Poll. VIII. 109); singulas ergo tribus hasce regiones tenuisse probabile est, sic enim nominum mutatio de qua est apud Poll. interpretanda est. De optima autem ratione, qua Schömannus et Dunkerus inter singulas tribus Atticum agrum diviserunt, nihil addere volo. (vide Phil. l. l. p. 271)

Quattuor tribuum nomina, quæ apud multos exstant, varie a variis explicantur; Euripides (Jon. 1579) et Herodotus (V. 66) et Stephanus B. (v. Αἰγικόρεως) nomina ab Jonis filiis petierunt; propius ad veritatem accedunt Plutarchus (Sol. 23) et Strabo (p. 338) qui haec nomina a præcipuis vitae studiis ducta esse arbitrantur; eosque recentiores viri docti secuti sunt, qui αἰγικορεῖς pastores caprarum, ἀργαδεῖς agricolas, ὅπλητας qui arma gerebant, fuisse existimant; verbum γελέοντες non certa ratione explicatur (hanc autem formam et tituli, quos infra laudabimus præbent et lapis apud Rossium Demen p. VII ubi est Ζεὺς Γελέων), nisi quod nobilissimi fuisse videntur; nomen ducendum est fortasse a γελεῖν i. e. λάμπειν; (cf. Hesych. v. Schöm. Ant. i. p. 166) quomodo autem haec nomina cum agri Attici natura conjungenda sint, disposuit Phil. p. 271 sq. De ætate harum tribuum, quas Jonicas vocamus, ne cum minima quidem confidentia dicere audeo. Nam cum eædem in Asiæ urbibus occurrant, prima quæstio esset, utrum Athenis indigenæ sint, an jam in communi omnium Græcorum itinere ex Asia vel iam in ipsis Asiæ sedibus Jonicæ genti propriæ fuerint. Quamquam mihi in mentem non venit, negare, iam antea quam Græciæ sedes obtinuerint, Græcos per tribus divisos fuisse, sicut et Romanos, tamen haud confirmaverim ea nomina illis iam temporibus tribubus indita fuisse, quia nomina illa et quæ iis significantur hominum studia, regionibus, quas singulas tribus in Attica tenuisse verisimile est, nimis accommodata esse videntur,

ita ut in ipsa Attica exorta et deinde quum Jones Peloponneso pulsi per tempus aliquot in Attica commorati essent, etiam in primas illas trans mare colonias pervenisse putaveris, præsertim cum etiam XII urbes, quas in Asia condiderunt, ad earum exemplum, quas antequam in Jonia Peloponnesia incoluerant, institutas esse confirmet Herodotus lib. I. 145. Sed tamen totam hanc rem in dubio relinquere malo, cum et id hodie etiam quam maxime incertum sit, quo itinere singulæ Græcorum gentes sedes suas petierint.

Sed priusquam ad reliqua pergimus, pauca monenda sunt de naucrariis etsi ab iis rebus, quas nos spectamus, satis alienis, ne eas plane obliti esse videamus. Notissimus est Herodoti locus V. 71: *τούτους* (sc. Cylonis socios) *ἀνιστᾶσι οἱ πρυτάνεις τῶν ναυκράρων, οἵπερ ἔνεμον τότε τὰς Ἀθήνας ὑπεγγύους πλὴν θανάτου.* Nolo de verbis controversis deque Thucydidis contraria sententia (I. 126) plura disserere; hoc constare videtur, agrum Atticum aliquando divisum fuisse in partes IIL, quae *ναυκραρίαι* vocabantur, quaternas autem inter se conjunctas *τριττύας* appellatas fuisse, quia tertiam tribus partem efficiebant. cf. Poll. VIII. 108. *ναυκραρία δ'ἦν τέως φυλῆς δωδέκατον μέρος καὶ ναύκραροι ἦσαν δώδεκα, τέτταρες κατὰ τριττὺν ἑκάστην* et alias. (cf. Schöm. gr. Alterth. I. 337 sq. et Stein ad Herod. l. l.) *ναυκραρίαι* inde dictæ, quod naves parare atque armare illis imperatum erat. Quæ autem posterioribus temporibus commemorantur *τριττύες* partes Clisthenicarum tribuum fuisse necesse est, quas invenimus et apud scriptores et in nonnullis titulis; exempli causa adnoto quæ sunt apud Rangabé ant. hellén. n. 445. 448. 890. ubi habes: *τριττυάρχους, Ἐπακρέων τριττύος, Λακιαδῶν τριττύος* Dubius magis est locus Hesychii v. *Ῥωπῖτις· τῶν τριττύων τις καὶ πατριῶν οὕτω καλεῖται.*

Quattuor illis tribubus usque ad pulsos Pisistrati filios in omnibus publicis institutis nitebantur; sed libera resti-

tuta re publica Clisthenes novam prorsus populi discriptionem effecit, eo potissimum consilio, ut magnam multitudinem eorum, qui adhuc civitate carebant, reciperet (Aristot. pol. III. 2) et ut omnes civium partes misceret, ne singulæ propriis commodis magis quam universæ reipublicæ usui inservirent. Quem ad finem novas decem tribus denosque in unaquaque tribu pagos *(δήμους)* instituit, ea quidem ratione, ne pagi, qui ejusdem tribus essent, in eadem regione siti essent. Nihilo minus etiam post Clisthenem veteres illas tribus invenies, ne, quod maxime Græci metuebant, vetustissima illa tribuum sacra negligerentur (cf. Meier de gentilitate p. 7) Phratriæ autem priorem condicionem servabant, et cum ante Clisthenem cives in gentium, phratriarum, tribuum (veterum scilicet) tabulas referrentur, postea demis, phratriis, tribubus (novis) adscribebantur. Præter testimonia ab aliis iam laudata, notavi Rang. Ant. hell. n. 375, 378, 447, 443, 493, 518, 526. Unius phratriæ nomen ad nos pervenit in titulo C.I.G. 4631. *ἱερὸν Ἀπόλλωνος ἑβδομείου φρατρίας Ἀχνιαδῶν.* Quæ autem a Clisthene institutæ sunt decem tribus, dum libera Atheniensium respublica suique juris erat, durabant; quum autem Græcia in Macedonum potestatem redacta esset, et Athenienses et alii Græci, quo gratiore regum beneficia animo accipere viderentur, novas tribus, ex regibus illis adulationis causa appellatas addiderunt; primum *Ἀντιγονίδα* et *Δημητριάδα* ex Antigono ejusque filio Demetrio dictas. (cf. Steph. B. v. *Βερενικίδαι: δέκα γὰρ φυλὰς ἔχοντες οἱ Ἀθηναῖοι προσέθεσαν δύο Ἀντιγονίδα καὶ Δημητριάδα καλοῦντες. ὕστερον δὲ Ἀτταλίδα καὶ Πτολεμαΐδα διὰ τῶν ἐπωνύμων εὐεργετηθέντες βασιλέων*, cf. eundem v. *Ἀντιγονίς*, Poll. VIII. 110. *προσετέθησαν δ' αὐταῖς δύο Ἀντιγονὶς καὶ Δημητριάς, ἃς ὕστερον μετωνόμασαν Ἀτταλίδα καὶ Πτολεμαΐδα* et Paus. I. 5. 5); ex Pollucis verbis in illarum locum *Ἀτταλίδα* et *Πτολεμαΐδα*

ab Attalo Pergami rege et a Ptolemaeo Philadelpho nominatas substitutas esse intelligimus; postremo in Hadriani honores accesit *Ἀδριανίς*. (Paus. l. l. . . *καὶ κατ' ἐμὲ ἤδη βασιλέως Ἀδριανοῦ* . . . C. I. G. II. 2309 in lapide Deli invento exempli causa *Ἀδριανίς* et *Οἰνηΐς* leguntur et sæpe alias.

Jam cum de populo Atheniensium tamquam prooemii loco summam exposuerim, ad ea transeo, quæ mihi de aliis Græcorum civitatibus congerere contigit.

II.

Atheniensium tribus veteres Ionicis civitatibus communes fuisse tradit Herod. V, 69, qui Clisthenem tribus mutasse putat Jones aspernatum *ἵνα μὴ σφίσι* (Atheniensibus scilicet) *αἱ αὐταὶ ἔωσι φυλαὶ καὶ Ἴωσι.* His Herodoti verbis ductus in plurimis civitatibus, quas Jones incolebant, Jonicis illis tribubus occurrere exspectaveris. Si autem scriptores et inscriptones perscrutamur, mirum est, quam pauca ex iis haurire liceat, ex quo tenuitatem fontium nostrarum intelligimus.

Cyzici habes sex tribus (C. I. G. 3662, 3664. 3665), quarum ordo hic fuisse videtur: *Γελέοντες Ἀργαδεῖς Αἰγικορεῖς Βωρεῖς Οἰνῶπες Ὅπλητες* (haec præterea est in tit. apud Perrot exploration archéol. n. 49). Accedunt igitur ad quattuor Jonicas *Οἰνῶπες* et *Βωρεῖς*, quas aut ex iis, qui locum tenuerant, antequam Milesiorum coloni advenerant, compositas esse probabile est, cum et alias similia occurrant et Mileti, in ipsa Cyzicenorum metropoli, aut duæ illæ tribus Jonicis adjectæ esse possunt, cum Proconnesus in Cyzicenorum potestatem redacta esset. (cf. Paus. VIII. 46. 4). De partibus Cyzicenarum tribuum nihil constat, nam quod Böckhius statuit: »*Αἰγικορεὺς ἐκ μέσης*« (til. 3657) esse Aegicorensem ex media trittye

omnino non pro certo haberi potest, neque magis quod Philippius inde colligit, tribus regionatim descriptas fuisse; quod mihi eo refelli videtur, quod omni probabilitate caret, singulas tribus in urbe, quæ commercii causa non nimis antiquo tempore condita est, inter se segregatas fuisse.

Jonicarum tribuum vestigium, in altera etiam Milesiorum colonia, Tomis relictum est, ubi »*Ἀργαδέων φυλή*« servata est in titulo edito in annal. del Inst. XL. p. 96. Cum autem multi Romani commercii causa Tomis sedes collocarent, nova Romanorum tribus instituta est, quae exstat bis apud Perrot l. l. n. 48: »*Τομίτης φυλῆς Ῥωμέων.*«

Mileti olim Ionicas illas tribus fuisse e coloniarum analogia necesse est, quod Böckhius vidit ad C.I.G. 2855 p. 554., quo titulo commemoratur tribus *Ἀσωτίς* seu, ut correxit Böckhius *Ἀσωπίς*, de qua judicandum est ut de Boriensibus et de Oenopibus Cyzicenis. Ex eo autem, quod in colonias Jonicae solae translatae sint, indigenas, cum, qui novi advenissent, navigationi et negotiis quam maxime operam darent, agros exercuisse colligo; fortasse etiam inferior eorum in civitate condicio erat, quod aliquoties in Doriensium urbibus factum esse videbimus. Sex autem tribus fuisse ex numero magistratuum (tit. 2878) collegit idem Böckhius; habes igitur quattuor Jonicas et duas ex veteribus incolis formatas, quarum una est Asopis. Sed post Böckhium Lebasius et Waddingtonius titulos quosdam ediderunt, in quibus leguntur: *φυλὴ Οἰνηΐς Ἀκαμαντίς Πανδιονίς* et aliquot demi. Omnes et Böckhii et Lebasii tituli non ante diadochorum ætatem positi sunt (2855. Prusia II regnante, et in Lebasianis litterarum forma idem tempus indicare videtur), tamen Romanis nominibus plane liberi sunt. Quae omnia hac ratione explicanda esse censeo: tribus quattuor Jonicae a primis colonis Miletum advectae simulque cum urbe condita duae illae additae sunt; partes

harum tribuum fuerunt phratriae et gentes. Deinde, nescimus quo tempore, civilibus fortasse motibus adducti Milesii novam divisionem fecerunt per tribus et demos. Numerum harum tribuum decem fuisse ex eo aliquis collegerit, quod nomina tria, quae nobis tradita sunt, eadem sint, quae Clisthenicarum tribuum; sed praeter has Asopis suo loco careret; fuerunt igitur hoc tempore aut sex secundum magistratuum numerum, aut duodecim, praeter Clisthenicas decem duae indigenae; duodecim autem fuisse magis placet, quia non intelligimus, cur, si numerus non augebatur, nomina mutata et ex decem Atheniensium tribubus quattuor praecipue electae sint. Sed hoc etiam dissimulare nolo: aucto tribuum numero quaerendum erit, cur illae indigenae cum ceteris non mixtae fuerint; nam illo tempore discrimen inter veteres incolas et Jonicos advenas non dudum obsoletum fuisse, haud facile credere possumus; sed aliam explicandi rationem non video. Novarum autem tribuum partes demi fuerunt nt Athenis Clisthenicarum, quorum exstant in titulis: *δῆμος Τειχιεσσέων* Leb. 238. 242. *Λερίων* 240. *Καταποτίων* 242. *Πι]τέων*? 242. Gentes etiam hoc tempore reperiri, nemini mirum erit, quae etiam Athenis, postquam partes certae reipublicae esse desierunt, duraverunt. Sunt igitur in tit: *γένος τῶν κτισάντων τὴν πόλιν* C. I. G. 2881; *γένος ἀπ' Αἴαντος* Leb. 239.

In Teiorum titulis (C. I. G. 3068 et 3079) Geleontes reperimus, quare Tei Jonicas tribus aut solas aut aliis additis fuisse, facile concedas. Quarum quidem tribuum partes non phratriae fuere sicut Athenis sed aliae quaedam, quae *συμμορίαι* et *πύργοι* appellantur. In catalogo magistratuum (*ἀρχόντων* — C. I. G. 3064) nominum series scripta est, adjectis unicuique nomini verbis »*τοῦ*« sive »*ἐκ τοῦ δεῖνα πύργου*« et in fine additum est patronymicum, ut exemplo utar: *Θαρσύνων ἐκ τοῦ Ἵερυος πύργου Ζωριάδης*. Quid sibi velint patronymica ista Bœckhius ex tit. 3066

expedivit, ubi iidem *Ἐχνιάδαι* et *ἡ Ἐχίνου συμμορία* nominantur, qui sacra patria *(θυσίας πατρίους)* faciunt; inde perspicuum est symmorias partes civium, a propinquitate quadam profectas, esse; Böckhius et omnes qui hac de re disputaverunt, symmorias gentes esse contendunt, quod ego haud negaverim; hoc modo tenendum est, eas late patuisse, ita ut et propriis prophetis usi sint et decreta sua pilis marmoreis incidi jusserint. XXIV symmoriarum nomina servata sunt, vicesimum quintum mutilatum: *Πρυΐδης Βοΐδης Βριθαΐδης Ἀξηνορίδης Φιλαΐδης Γαλαισίδης Εὐρυμηστορίδης Ζωριάδης Δάδδειος Λεωνίδης Λυκίδης Πολλίδης Καλλιππιάδης Βρυσκίδης Χαλκίδειος Κοθίδης Σκηβηΐδης Μαιανδρίδης Κιζών Ἀλκιμίδης Μαλιάδης Βρεαλλωνίδης Τρωγιλίδης Ἐχνιάδης Πελ . . .* Inter haec tria nomina patronymica forma carent: *Χαλκίδειος Δάδδειος Κιζών.* Chalcidenses dicti sunt a pago Chalcide (cujus major pars Erythraeorum fuit, quorum tertiae tribui nomen indidit), cujus incolae ex Chalcide Euboeica oriundi gentem Tei sive symmoriam constituerunt. Similiter etiam ceteras duas ex loco quodam appellatas esse Böckhius censet. Turres *(πύργοι)* prope omnes ex hominibus, una ex muliere *(Καλλίππη)* denominatae sunt; de *Ἰσθμίου* turri dubitari potest, utrum ex homine an ex *ἰσθμῷ* parte Teiorum agri nomen traxerit; XXVIII turres ex titulis noscimus, quae sunt: *ὁ Πρύου πύργος ὁ Βοίου Ἀλξήνορος Γαλαίσου Δάδδου Κόθου Ἀλκίμου Μαλίου Τρωγίλου Κιναβάλου Μύστου Ἱέρυος Ἰσθμίου Βήβωνος Καλλίππης Σίντυος Μηράδου Σθενέλου Χαλκιδέως Ἐκαδίου Μεγαμήδευς Κόπρεως Σιδηρέως Κίδυος Ἥρωνος πύργος*, denique *ὁ Φιλαίου πύργος* (tit. 3081) qui *Φιλαϊδῶν* symmoriae tribuendus est. XI e viris dicti sunt, quorum nomina in patronymicis, quibus symmoriae appellatae sunt, recurrunt. Turres illae ab omnibus cum demis Atticis recte comparantur; haec igitur divisio a regione

desumta est et, similiter ac Athenis multi demi, a gentibus quae ibi florebant, nomina acceperunt. Turres Teiorum et symmoriae plurimae multitudine hominum, quos amplectebantur, non admodum dispares fuisse videntur, sed illae agri hae tribuum partes fuerunt. Et ego sententiam, quam Vischerus in Mus. Rhen. XXII. 324 proposuit, probare non possum, qui symmorias fortasse turrium partes fuisse conjecit, cum duae occurrant symmoriae, quibus duarum turrium homines adtribuuntur: *Βρυσκίδαι* et *Χαλκίδειοι* ad quas pertinent *ὁ Σίντυος* et *ὁ Μηράδου πύργος* atque *ὁ Σθενέλου* et *ὁ Χαλκιδέως* (cf. Böckh. ad. 3103) *πύργος*. Eodemque argumento refutatur Grotius, qui turrem et symmoriam idem esse seu potius symmoria civium communitatem, qui turri continebantur, significari putat. Si igitur symmoriae turrium partes esse non possunt, quaeritur, num turres symmoriarum partes fuerint. Hoc ex eo quidem contenderis, quod nusquam ejusdem turris cives variis symmoriis assignatos esse videmus, et ex hac re unam vel complures turres in unaquaque symmoria fuisse putari potest. Sed pro certo hoc habere nequeo; hoc solum constare videtur: symmorias ad gentilitatem spectantes tribuum partes fuisse, easque sicut Atticas gentes per magnum tempus uno loco habitasse, turribus autem multo antiquiores fuisse, quae posteriore demum tempore institutae, eos, qui in uno pago habitabant, complectebantur, ubi saepius factum est, ut gentes sive symmoriae, quae communem sedem nondum dereliquerant, turribus nomina inderent.

Lapis Ceae repertus (apud Rang. II. 2025), in quo *Κολωνεῖς* nominantur ex vicina Attica allatus esse videtur; de Cecropide autem pago Thessalonicensium (Steph. B. v. *Κεκροπίς*) quid sit statuendum nescio.

III.

Ita ut Jones in quattuor sic Dorienses in tres partes divisi erant, unde *Δωριέες τριχάϊκες* iam ab Homero dicuntur.[1]) Doriensibus communes sunt: *Ὑλλεῖς Πάμφυλοι Δυμᾶνες* (cf. Herod V. 68 ubi *Δυμανᾶται* est in codicibus et Steph. B. v. *Δυμᾶνες*).

Lacedaemoniorum civitatem Lycurgum oraculum illud, quod rhetram veteres dicebant, per tribus dividere jussit. cf. Plut. Lyc. 6 *φυλὰς φυλάξαντα καὶ ὠβὰς ὠβάξαντα, τριάκοντα γερουσίαν σὺν ἀρχαγέταις καταστήσαντα*. Lycurgum autem non novas tribus instituisse, sed veteres illas, quae Doricae feruntur, quodammodo neglectas, restituisse, Pindarus testari videtur (Pyth. I. 61).

τῷ πόλιν κείναν θεοδμήτῳ σὺν ἐλευθερίᾳ
Ὑλλίδος στάθμας Ἱέρων ἐν νόμοις ἔκτισσ᾽· ἐθέλοντι δὲ Παμφύλου
καὶ μὰν Ἡρακλειδᾶν ἔκγονοι
ὄχθαις ὕπο Ταϋγέτου ναίοντες αἰεὶ μένειν τεθμοῖσιν ἐν Αἰγιμιοῦ,
Δωρεῖς.

Qui versus mea quidem sententia Pamphylos et Hyllenses Pindari aetate Spartae viguisse significant; Dymanesque, etsi a poeta non enumerati, haud afuerunt. (cf. Schol. ad. l. l. *Πάμφυλος καὶ Δύμας καὶ Δῶρος υἱοὶ Αἰγιμιοῦ, ἀφ᾽ ὧν Παμφυλὶς καὶ Δυμανὶς φυλαὶ ἐν Λακεδαίμονι* et ad. Arist. Plut. 382. *φυλαὶ ἐν Λακεδαίμονι Πάμφυλοι, Δυμᾶνες, Δωρεῖς*). Tribuum decimam partem obas fuisse, quod multi contendunt, pro certo non constat (nam *τριάκοντα* in illa rhetra melius refertur ad *γερουσίαν σὺν ἀρχαγέταις*), quas quidam obas Schömannus in denas gentes easque in tricenas familias divisas fuisse putat, quare *τριακάδες* dictae sint ab Herodoto I. 65

[1]) Si quidem haec veterum interpretatio retinenda erit contra Döderlein hom. Gloss. et alios.

(antiq. i. p. 115. 7). Omnes cives uni illarum tribuum adscripti erant, quod condicio erat civitatis; quare Herodotus Theram Lacedaemonium, quem colonos in Theram insulam, illo tempore Callisten dictam, duxisse tradit, habuisse »λεὼν ἀπὸ τῶν φυλέων« (i. e. Spartiatas) narrat; cum igitur Minyes, qui Taygetum montem occupaverant, in civitatem reciperentur, per singulas tribus dispertiti sunt. (Herod. IV. 145). Infima autem Graecorum libertatis aetate plurimis alienigenis in civitatem receptis tribus illae, quae sanguinis hereditate nitebantur, exoletae novaeque, quarum quinque nomina ad nos pervenerunt, in earum locum suffectae sunt, quae ab urbis regionibus *(κώμαις)* petebantur. (cf. Schöm. ant. i. p. 115. Böckh. C. I. G. I. p. 609). In titulis et lexicographis exstant: *φυλῆς Κυνοσουρέων* C. I. G. 1272 et. 1347. *Τῆς Λιμνατέων φυλῆς* 1377. cf. *Λιμναέων διαβέτης* 1241 et 1243. *πρέςβεις Λιμναέων* 1273. Steph. v. *Μεσσόα τόπος Λακωνικῆς. Στράβων ὀγδόῃ. ἔστι καὶ φυλὴ Λακωνική. Λακεδαιμόνιος Πιτανάτης* C. I. G. 1425. quinta *Δύμα* ex Hesychio petitur v. *Δύμη ἐν Σπάρτῃ φυλὴ καὶ τόπος.* Obas autem et illo tempore et sub Romanis imperatoribus permansisse ostendunt tituli C. I. 1471. 1474. 1473, 1472.; obarum nomina Böckhio sunt Eurypontidae et Agidae, quas regias esse putat, et Aegiadae, quos Herod. IV. 149 falso pro tribu habet. C. I. tit. 1273. *τᾶς ὠβᾶς* A . . . legitur, reliquae autem litterae perierunt.

Contrariam prorsus sententiam de tribubus Lacedaemoniorum exposuit G. Gilbertus in libro, quem mihi nuper inspicere licuit. (Studien zur altspartanischen Geschichte p. 142 ss.). Qui, cum, quae Doricae nominantur tribus, Argivas solum fuisse exposuerit, (quod contra *Δωριέες* illi *τριχάϊκες* revocandi sunt) jam Lycurgica rhetra novem tribus institutas esse contendit, quarum numerum et nomina Lacedaemoniorum legionibus *(λόχοις)* consentanea fuisse

conjicit; in quibus sunt quinque illae ex lexicographis et inferioris aetatis titulis notae tribus: *Μεσόα Κυνόσουρα Λίμναι Δύμη Πιτάνη;* sed Pitanen Thucydidis temporibus in legionem tribuumque numero non fuisse ipsius Thuc. verba, quibus Herodoti de *λόχῳ Πιτανάτῃ* sententiam repellit, demonstrari videtur. (cf. 1. 20 . . . *καὶ τὸν Πιτανάτην λόχον αὐτοῖς εἶναι, ὃς οὐδ' ἐγένετο πώποτε.*) Reliquarum quattuor tribuum nomina Gilbertus hausit ex legionum nominibus, quae servantur a schol. ad Arist. Lysistr. 454: *Ἔδωλος, Σίνις, Ἀρίμας Πλοάς,* quae quamvis corruptae sint, tamen similiter enumerantur ad. Thuc. 4. 8. *Αἰδώλιος Σίνης Σαρίνας Πλοάς*; *Ἔδωλος* praeterea Hesychii nota confirmatur (s. v.) *Λόχος Λακεδαιμονίων οὕτως ἐκαλεῖτο.* Diodori Scepsii autem aetate Spartae novem tribus et XXVII phratrias i. e. obas fuisse, ex Carneorum ejus descriptione probabile est (Athen. 4. 141 E.) Sed quo minus haec omnia jam florentis Lacedaemoniorum reipublicae temporibus instituta fuisse concedamus, et Pindari et Thucydidis veterumque interpretum testimonia nimis obstare videntur.

In insula Aegina populus saeculo altero a. Chr. n. per tribus et demos divisus erat, nam qui civitate donantur hoc tempore, tribui et demo inseruntur (C. I. G. 2139 b. Rang A. H. n. 688.) quas tribus Doricas esse per se apparet, et e Pindari verbis, qui de Aegina dicit frg. 4. *Σὺν θεῶν δέ νιν αἴσᾳ Ὕλλου τε καὶ Αἰγιμιοῦ Δωριεὺς ἐλθὼν στρατὸς ἐκτήσατο,* et inde colligi potest, quod Cydoniae, quae urbs ab Aeginetis condita erat teste Strabone p. 376., ex Hesychio *Ὑλλεῖς* noti sunt (v. *Ὑλλεῖς· οἱ ἐν Κρήτῃ Κυδώνιοι*); si autem verba Hesychii integra sunt iisque magna est fides habenda, una solum Hyllensium tribus Cydoniam condidit, ita ut Trœzenii Dymanes Halicarnassum. (Steph. B. v. *Ἁλικαρνασσός,* qui Callimachum sequitur); altera Trœzenia tribus Hyllensis est apud eun-

dem Steph. v. Ὑλλεῖς. Singulas autem tribus cum tribus oppidis, quorum συνοικισμῷ Troezen orta est, congruentes esse, ego colligo ex Paus. II. 30. 8; cum enim ab una tribu coloniam condi videamus, et in metropoli suo quamque loco habitasse quam maxime probabile est.

Ex uno titulo Agrigentino (C. I. G. 5491) et Agrigenti et Gelae et Rhodi Dorienses tribus fuisse perspicimus; nam Agrigentum conditum est a Geloïs, Gela autem ab Antiphemo Rhodio et Entimo Cretensi, quorum illum plus valuisse ex eo intelligimus, quod quae prima condita est urbs, initio Lindii appellata sit (Thuk. VI. 4. 4 (Krüger), Herod. VII. 153). Homerus autem Rhodios τρίχα divisos esse, est auctor (Il. II. 655)

οἳ Ῥόδον ἀμφενέμοντο διὰ τρίχα κοσμηθέντες
Λίνδον Ἰηλυσόν τε καὶ ἀργινόεντα Κάμειρον·

versu 668 dicit de iisdem Rhodiis:

τριχθὰ δὲ ᾤκηθεν καταφυλαδόν.

Unde dubitari vix potest, quin singulae tribus, quas Doricas fuisse e titulo Agrigentino perspicitur, in singulis Rhodi insulae oppidis sedes habuerint. Praeter hasce tribus Rhodii alia etiam ratione divisi erant; in titulo, quo fasti Apollinis Erethimii continentur, singulis nominibus πατρόθεν appellatis addita sunt nomina: *Ἀστυπαλαιεύς Βρυγινδάριος Ἰστάνιος Νεοπολίτας Πολίτας Ποντωρεύς Σιβύθιος;* quibus in nominibus pagos vel oppida vel demos Rhodiorum latere vidit Rossius (inscr. Graec. ined. III. 277).

In iis, de quibus adhuc dixi Doriensium civitatibus, tres illae tribus, quoad ex fontibus nostris rem perspicere licet, solae sunt, neque cives esse possunt, nisi qui hisce tribubus continentur; quod iis plerumque locis evenit, ubi indigenae in civitatem non recepti sed advenis subacti, aut omnino ex agro pulsi sunt. In nonnullis autem civitatibus praeter Doricas aliae etiam tribus innotescunt,

quibus, qui ante Doriensium adventum locos illos tenuerant, comprehendebantur.

Doricas tribus apud Argivos cognoscimus ex Herod. V. 68, qui Sicyonium Clisthenem nomina tribuum mutasse narrat, ne essent Sicyoniis eaedem quae Argivis; in titulis autem habes: *ἁ φυλὰ τῶν Δυμάνων* C. I. G. 1123; *ἁ φυλὰ τῶν Ὑλλέων* 1128 (cf. Steph. B. v. *Ὑλλεῖς· Ὑλλὶς καὶ φυλὴ Ἄργους*) *ἁ φυλὴ τῶν Π[αμφύλων]* 1132; certe, quamvis nomen non sit integrum, similiter restituendum esse puto *ἡ φυλὴ τῶν Π[αμφύλων]* apud Leb. 120. Quartae nomen exstat apud Steph. B., qui postquam tres Doricas enumeravit, pergit: *καὶ προσετέθη Ὑρνηθία ὡς Ἔφορος α*, quam Argivam fuisse videmus ex tit. C. I. G. 1130. 1131 *ἁ φυλὰ τῶν Ὑρναθίων*, quibus adde a me restitutum Leb. 120 *ἁ φυλὰ τ[ῶν Ὑρν]αθίω[ν]*. Quarta haec tribus indigenas, ad quos Dorienses venere, continet, ut omnes viri docti statuunt, et recte Schömannus monere videtur, hanc tribum non statim ab initio parem fuisse ceteris, sed tum demum, cum democratia, seu, quod mihi magis placet, cum tyrannis institueretur, cum ceteris aequum jus obtinuisse; nam et Sicyonii reges veteribus et a Doriensibus neglectis civibus nisi, rerum potiti sunt.

Eadem ratione Epidaurii divisi in quattuor tribus fuisse videntur, Doricae tres Aeginetarum analogia confirmantur, quam insulam ab Epidauro colonos accepisse in dubium vocari non potest, si, quae Herodotus (v. 53) de judiciorum et sacrorum inter has duas res publicas communitate narrat, recordamur. Quartam autem *Ὑρναθίαν* fuisse, quam maxime probabile est, cum apud Paus. (II, 28. 3) Epidauri locus *Ὑρνήθιον* commemoretur, ibique quae de Hyrnetho fabulantur, gesta esse dicantur (cf. Meier de gentil. p. 4). Si autem id etiam quaeritur, quisnam quartam Epidauriorum tribum ceteris adaequaverit, ego quidem Proclem hoc fecisse suspicor (Her. III. 55), quem

ut illum Epidaurium Proclem, qui Samum Jones traduxit, Jonica stirpe (i. e. Epidauriorum ex indigenis) fuisse conjicio (cf. Paus. VII. 4. 2). Sed a conjecturis iam ad certiora animum revocemus.

Orthagoridae Sicyonii reges, qui ab Orthagora (Arist. pol. VIII. 12 Bekker) seu ab Andrea (Her. VI. 126), qui idem fuisse videtur, gentem ducebant, quarta non Dorica tribu orti erant, quae illo tempore ceteris par non erat; illi autem et maxime Clisthenes Dorienses opprimere ipsorumque tribum efferre conati sunt, ita ut Doricis *Ὑᾶται Ὀνεᾶται Χοιρεᾶται* nomina non quidem a Clisthene publico consilio, sed a populo, antea ab iis oppresso propter odium inderentur, quarta autem tribus *Ἀρχελάων* nomine honoraretur. Pulsis deinde regibus Dorienses in priorem condicionem redierunt, et Archelai *Αἰγιαλεῖς* nomen receperunt, quod iis quidem non hoc tempore primum datum, quae est Herodoti sententia, sed antiquitus proprium fuisse omnes consentient. Similem tribuum rationem apud Phliasios fuisse verisimile est, qui et ipsi Dorienses *ἐπὶ ἀναδασμῷ γῆς* in urbem receperant (Paus. II. 13. 1).

In Corcyraea inscriptione servata sunt ... *ΛΕΥΣ* et in eadem *ΥΛΛ*... quod Böckhius restituit: *Ὑλλεύς*, quo Corcyram Doricas habuisse tribus manifestum est; idemque de Corintho, Corcyraeorum metropoli statuendum est. Sed apud Snidam v. *πάντα ὀκτώ* legimus: *οἱ δὲ* (sc. *φασὶν*) *ὅτι Ἀλήτης κατὰ χρησμὸν τοὺς Κορινθίους συνοικίζων ὀκτὼ φυλὰς ἐποίησε τοὺς πολίτας καὶ ὀκτὼ μέρη τὴν πόλιν.* Argumentum, quod e Corcyraeo titulo sumpsi, refelli non potest, qua de causa ita res expedienda erit: Tribus a victoribus Doriensibus allatae, quum Corcyra conderetur, adhuc florebant, postea autem, civilibus dissidiis ortis, nova populi divisio facta et octo illae tribus institutae sunt, quae a Suidae auctore falso ad Aletam referuntur. Ex iis autem, quae narrat Nicolaus Damasc.

(Müller frg. hist. Gr. III. 394): Postquam Corinthii alterum Cypselum occiderunt *ὁ δῆμος παραχρῆμα κατεστήσατο πολιτείαν τοιάνδε· μίαν μὲν ὀκτάδα προβούλων ἐποίησεν, ἐκ δὲ τῶν λοιπῶν βουλὴν κατέλεξεν ἀνδρῶν θ'*, octo tribus statim post tyrannorum exitum institutas esse putamus. Titulum 88 apud Leb., cui tribus notitia inesse videtur, ego quidem restituere nequeo, si alii contigerit, vehementer gaudebo.

Megaris habemus in titulo honorario (C. I. G. 1073) primi p. Chr. n. saeculi *Παμφύλους*, et in alio ejusdem anni (1073) *Ἀδριανίδας;* accessit igitur ad Doricas tribus quarta in honorem imperatoris Hadriani nominata; apud Leb. 49 est: *Ἀδριανίδαι τὸν ἑαυτῶν κτιστὴν καὶ νομοθέτην καὶ τροφέα.* Ab agri Megarei deinde regionibus petitae, ita ut quodam modo cum demis Atticis conferri possint, quinque *κῶμαι* sunt, quarum nomina servavit Plutarch. quaest. Graec. 17 *τὸ παλαιὸν ἡ Μεγαρὶς ᾠκεῖτο κατὰ κώμας εἰς πέντε μέρη νενεμημένων τῶν πολιτῶν· ἐκαλοῦντο δὲ Ἡραεῖς καὶ Πιραεῖς καὶ Μεγαρεῖς καὶ Κυνοσουρεῖς καὶ Τριποδισκαῖοι.* Quas ad *κώμας* numerus praetorum *(στρατηγῶν)* referendus est, quorum quinque sunt in tit. C. I. G. 1052. Leb. 26—30 b., sex autem ibid. 31—34, quare simul pagorum numerus auctus esse videtur. Foucarti autem judicium sibi non constat, qui primum quinque, deinde sex tribus Megarensium fuisse dicit, quamquam ipse Böckhium bene praetores ad pagos retulisse profitetur.

Quum iam quae Jonicae Doricaeque tribus aliaeque divisiones mihi innotuerint, composuerim, de ordine, in quem reliqua redigere volo, hoc moneo: tam diversas res certa quadam ratione digerere, quam sit difficile, in promptu est; quare ego ita materiem tractare mihi proposui, ut primum, quasi in appendice ad haec tria capita de coloniis dicam, in quibus condendis complures civitates operam

contulerunt, ita ut tribus a varia civium patria peterentur; deinde de iis, quas dicimus topicas Dionysio Halicarnassensi auctore, tum de opificum collegiis, deinde de gentiliciis nondum tractatis, postremo de iis rebus exponam, quas haec genera non amplectuntur.

In coloniis, quae a compluribus urbibus conditae sunt, aut quae postea novos colonos *(ἐποίκους)* acceperunt, fieri potuit, ut singulae tribus ex singulis colonorum nationibus componerentur. Cyrene anno DCXXIII a Theraeis, quibus et alii admixti fuerunt, condita est; Batto autem II Felice dicto regnante Delphico oraculo auctore homines ex omnibus Graeciae regionibus Cyrenen commigraverunt; quum autem dissidia orta essent, Pythia iis suasit, ut Mantineensem populi reconciliatorem *(καταρτιστῆρα)* arcesserent. Qua re Demonax a Mantineensibus missus civitatem in tres tribus dispertivit, primam Theraeorum et eorum qui circa habitabant, alteram Peloponnesiorum et Cretensium, ergo Doricam, tertiam omnium insulanorum *(νησιωτέων πάντων)* cf. Her. IV. 158—161. Si quis autem putaverit, ante Demonactem tribus omnino non fuisse, quam maxime errat; nam, etsi eas non novimus, tamen easdem quas Therae fuisse pro certo haberi potest. Reliquum est, ut quae Aristoteles de Cyrenaeorum tribubus tradit, examinemus. Exponit Aristoteles quibus modis »*οἱ δημαγωγοὶ*« immoderatam plebis dominationem sustinere conentur (Polit. VII. 4 Bekker.) »*ἔτι δὲ καὶ τὰ τοιαῦτα κατασκευάσματα χρήσιμα πρὸς τὴν δημοκρατίαν τὴν τοιαύτην, οἷς Κλεισθένης τε Ἀθήνησιν ἐχρήσατο βουλόμενος αὐξῆσαι τὴν δημακρατίαν καὶ περὶ Κυρήνην οἱ τὸν δῆμον καθιστάντες· φυλαί τε γὰρ ἕτεραι ποιητέαι πλείους καὶ φρατρίαι.* Hoc Cyrenae illo tempore factum non esse, de quo narrat Herodotus l. l. in promtu est, sed: aut cum reges urbe pellerentur (Herod. IV. 165 et 204) aut postea, cum tyranni summam potestatem affec-

tarent (Diod. XIV. 34). — Numerum et nomina tribuum, quae Thuriis statim ab urbe condita institutae fuerint, ignoramus. Diodoro autem auctore, cum Sybaritae tamquam primi novae urbis coloni sibi honores et agros praestantissimos exposcere conarentur, inde civilibus turbis exortis, novi coloni, qui multitudine veteres longe superabant, interfectis Sybaritis democratiam instituerunt. Quae cum exposuerit, ita pergit Diodorus (XII. 11): *συστησάμενοι δὲ πολίτευμα δημοκρατικὸν διεῖλον τοὺς πολίτας εἰς δέκα φυλάς, καὶ τὰς προςηγορίας ἁπάσας περιέθηκαν ἐκ τῶν ἐθνῶν. τρεῖς μὲν ἀπὸ τῶν ἐκ Πελοποννήσου συναχθέντων ὀνομάσαντες Ἀρκάδα καὶ Ἀχαΐδα καὶ Ἠλείην, τὰς ἴσας δὲ ἀπὸ τῶν ἔξωθεν ὁμοεθνῶν Βοιωτίαν Ἀμφικτυονίδα Δωρίδα, τὰς δὲ λοιπὰς τέτταρας ἀπὸ τῶν ἄλλων γενῶν Ἰάδα Ἀθηναΐδα Εὐβοΐδα Νησιῶτιν.*

Nec non Ephesiorum tribus varia colonorum *(ἀποίκων* et *ἐποίκων)* origine procreatae sunt. Ephesum urbem, qui primi condiderunt, Arcades fuerunt et Androclo Codri filio duce Attici ex demo Euonymia oriundi; primae igitur tribus fuerunt: Euonymi qua et Athenienses et qui in summo loco erant Arcades continebantur (Guhl Ephesiaca p. 30), Ephesii proprie dicti, qui in ipsa urbe habitabant, Bennaei a vico Benna appellati indigenae, qui soli exstant in uno titulo C. I. G. 2956 *ἐμβειναιωνφυ* quem Böckhius in addendis p. 1125 ita restituit: *ἐμ Βενναίων φυλῇ* (Benniosae Galatiae in oppido colebatur *Ζεὺς Βέννιος* Perrot. l. l. nº 86). Quum autem Androclus, dum Prienensibus contra Cares auxilium ferebat, occisus esset, Ephesii filios regnum retinere noluerunt; ortis inde seditionibus Teji et Carenaei a populo auxilio vocati et, in civitatem recepti, novis duabus tribubus inserti sunt, quibus ipsi Tejorum et Carenaeorum nomina indiderunt. Haec fere sunt, quae ex Steph. B. v. *Βέννα* post Meinekii emendationes intelligi possunt. Ex titulo laudato has tribus per diuturnum

tempus duravisse apparet, quum ille titulus Diadochorum aetate vix sit antiquior. In tit. a C. Curtio (Herm. IV. p. 218) edito sex tribus commemorantur, quarum sexta, cum Lysimachus Colophonios et Lebedios Ephesum commigrare juberet, orta esse videtur; partes harum tribuum erant *χιλιαστύες* Leb. 136[a].

Hic mihi Orchomeniorum Boeotorum tribus inserere liceat, quarum altera Cephisias a flumine Cephisso dicta, veteres incolas, altera Eteoleïs Boeotios advenas amplexa fuisse videtur; quae quidem Pausania auctore solae fuerunt, quamvis tres *πολέμαρχον* enumerentur in tit. C. I. G. 1573 sq. et Rang 1303. 19 (cf. Paus. IX. 34. 10. Schöm. Alt. I. 137).

IV.

Jonicae et Doricae tribus eos complectebantur, qui antiquitus necessitudinis cujusdam vinculo continebantur. Ab alia plane ratione Eleorum tribus proficiscuntur, quae ab agri regionibus petitae sunt. Apud Pausaniam (V. 9. 5), ubi de certaminum Olympicorum judicibus loquitur, haec leguntur: *ἐπὶ τῆς τρίτης καὶ ἑκατοστῆς* (sc. *ὀλυμπιάδος*) *φυλαί τε Ἠλείοις δώδεκα καὶ εἷς ἀπὸ φυλῆς ἑκάστης ἐγένετο Ἑλλανοδίκης;* ergo etiam ceteros judicum numeros cum tribubus consentire conjicimus. Sed fors tulit, ut numeri a quibus nos proficisci necesse est, corrupti sint; est enim in codicibus: *πέμπτῃ δὲ ὀλυμπιάδι καὶ εἰκοστῇ ἐννέα Ἑλλανοδίκας κατέστησαν — δευτέρᾳ δὲ ἀπὸ ταύτης ὀλυμπιάδι προςετέθη ὁ δέκατος ἀθλοθέτης.* Numerum XXV integrum non esse eo ostenditur, quod Pausanias, qui temporum ordine de Hellanodicarum numero exponit, jam de Ol. L dixerat, qua duo judices constituti, per maximum temporis spatium manebant. Sed difficillimum est in hac re aliquid conjectura assequi; ego quidem, cum multis aliis Böckhium sequor, qui optime,

ut solet, conjecit: ἐνενηκοστῇ; habemus igitur: Ol LXXXXV: IX tribus, Ol. XCVII: X tribus, Ol. CIII: XII tribus. Quum autem ab Arcadibus bello premerentur partemque agri abjicerent, octo certaminum judices et totidem tribus institutae sunt Ol. CIV, auctore Paus. l. l § 6. Ol. CVIII deinde ad decem redierunt, qui numerus permansit (ibid.). Nunc quaestio est, qui primus tribuum numerus fuerit. Per quinos annos sedecim mulieres Junoni pallium texebant et in ejus honorem ludos agebant, quae ex XVI Elidis oppidis singulae vel ex unaquaque tribu binae eligebantur (Paus. V. 16. § 5 et 7); quem usum ex illo tempore, quo Elis et Pisa in unam civitatem coaluerant, originem duxisse ex Pausaniae verbis (§ 6) colligo, qui sedecim mulieres dissidia inter Eleos et Pisaeos composuisse tradit. Eleorum igitur et Pisaeorum ager olim divisus erat in tribus octo, quae ex binis oppidis constabant, quorum nomina in Pausaniae libris exciderunt (l. l. § 6); restitutionem vide in Mus. Rh, 1834, p. 167 ab O. Müllero confectam. A Strabone p. 356 octo oppida »τῆς *Πισατίδος*« enumerantur, quare etiam Eleorum octo fuisse apparet. Antequam igitur conjunctae sunt Eleorum et Pisaeorum res publicae, in unaquaque quattuor tribus fuerunt, quod confirmatur Iliadis lib. II. 612, ubi Homerus quattuor Eleorum duces et quadraginta naves cum Agamemnone Trojam profectos esse tradit. Jam duce Müllero (Mus. Rhen. l. l.) breviter dicam de temporibus, quibus aut auctus aut minutus tribuum numerus sit. Tertio Messenio bello confecto Triphyliae fines ab Eleis occupatae sunt (Her. IV. 148. Thuk. V. 31), quare novem et mox decem tribus factae sunt, Ol. autem CIII universa Triphylia sub Eleorum potestate erat: inde duodecim tribus (Xen. Hell. VI. 5. 2); de octo tribubus ad quas Ol. CIV redierunt, supra diximus (Paus. V. 9. 5); deinde Triphyliae parte recuperata ad decem tribus revenerunt (quam ad rem Müllerus refert

Demosth. XVI. p. 206 (§ 16), eodemque respicit Schol. in Pind. Ol. III. 22, *περὶ δὲ τῶν Ἑλλανοδικῶν ἀριθμοῦ Ἑλλάνικός φησι καὶ Ἀριστόδημος, ὅτι τὸ μὲν πρῶτον β', τὸ δὲ τελευταῖον ι', τοσαῦται γὰρ αἱ τῶν Ἠλείων φυλαὶ καὶ ἀφ' ἑκάστης εἷς ἦν Ἑλλανοδίκης;* quo loco particula *γὰρ* ad numerum *ι'* solum pertinet). Praeter oppida autem et tribus demi commemorantur, quorum non certus quidam numerus in unoquoque oppido vel tribu fuisse videtur; (cf. Paus. V. 9. 6). Elin oppidum ex multis demis ortam esse testis est Strabo p. 336. — Hic similes quasdam e compluribus pagis commigrationes componimus, etsi fortasse a nostro argumento magis sunt alienae. Mantineenses ex quinque vicis (*κώμαις*) in unam urbem se contulerunt, quorum unum ipsam Mantineam fuisse intelligis e Xenophontis verbis (Hell. V. 2. 7) cum Strabone (p. 337) collatis. Ex novem demis Tegea et Heraea, ex septem vel octo Aegium, ex septem Patrae, ex octo Dyme orta sunt (Strab. l. l.). De Achaiae oppidis in universum cf. Strab. 386 *ἑκάστη δὲ τῶν δώδεκα μερίδων ἐκ δημῶν συνειστήκει ἑπτὰ καὶ ὀκτώ.*

Topicas, quas dicimus tribus Mylasae habemus; est enim in titulo C. I. G. 2691 *ἔδοξε Μυλασεῦσι ἐκκλησίας κυρίας γενομένης . . αἱ τρεῖς φυλαὶ ἐπεκύρωσαν;* ad quae Boeckhius: »hoc intelligi aliter non potest nisi ut primum Mylasenses in comitiis decreverint, deinde hoc decretum ad tribus relatum atque ab iis confirmatum sit.« Uude Böckhio rusticae illae tres tribus esse videntur, quae quartae urbanae consiliorum auctores fiunt. Urbanam reperit in tit. 2694 *ἡ φυλὴ κατὰ πόλιν;* rusticas esse putat: *Ταρκονδαρεῖς* a vico *Ταρκόνδαρα* dicta (2194ª 2697) *Ὀτωρκονδέων φυλήν* 2693 c d. f., tertiam supponit Labrandensem, quartam urbanam. Quae quidem omnia hodie sustineri non possunt, postquam Lebasius multas novas Mylasenses inscriptiones attulit. Manet sola *Ὀτωρκονδέων*

φυλή quae exstat apud Leb. 403—408. 411. 412; Tarcondarenses non tribum sed demum fuisse vides ex tit. 408 sq., quippe qui tituli certissimum reddant, Tarcondara partem fuisse tribus Otorcondensium. Labranda autem singularem rem publicam effecisse et ipsam per tribus et phratrias digestam intelligis ex tit. Leb. 334 *ἡ φυλὴ κατὰ πόλιν* eo repellitur, quod Böckhius verba non recte junxerit; verba enim cum Waddingtonio ita distinguenda sunt: *τὴν φυλήν, κατὰ πόλιν τὴν ὑπάρχουσαν κτῆσιν*, ut est infra: *τὴν κτῆσιν τὴν αὐτοῦ τὴν κατὰ πόλιν* (cf. Leb. p. 411). Jam ut in repulsae locum novam sententiam substituamus, primum hoc pro certo pono, tres fuisse Mylasensium tribus, quod et titulo supra laudato probatur, et eo admodum confirmatur, quod initium Lebasiani tit. 394 tres archontes enumerat. De comitiis autem Wadd. optime judicavit: remotioribus temporibus Mylasae fuerunt tres tribus, quae cuncta potestate tenebant; deinde cum summa rerum ad populum pervenisset, senatus e quibusdam illarum tribuum hominibus constitutus permansit. Praeter tribus habemus demos vel vicos, quorum Tarcondarenses et Maunitae (Leb. 409) Otorcondensibus, *Κυρμοσκωεῖς* (394), *Μασσωνεῖς* (415. 444), *Κεταμβίσσιοι* (416), nescimus cui tribui subjecti fuerint. Topicas hasce tribus supra appellavi, quia Otorconda sicut Labranda et al. locum significat; fuisse autem inter eas etiam necessitudinis gentiliciae quoddam vinculum infitiari nolo. Otorcondenses Jovem Osogum proprio cultu colebant (cf. Leb. 408. 411. 414) ita ut ei nomen Jupiter Otorcondensium inditum sit in tit. 403.

Similiter statuendum est de Olymi oppidi tribubus, quod Mylasis circiter ᴐᴐ passuum abest, quae urbs a scriptoribus memoriae non tradita, titulis quos Lebasius reperit, ab oblivione vindicata est. Si ex litterarum forma judicium fero, antiquissimus mihi videtur tit. 339, quam-

vis sciam, quam difficilis perspectu sit temporis ordo in hisce Macedonicae aetatis titulis. Hoc quidem tit. ii enumerantur, quibus communitas est sacrorum, quae Apollini et Dianae offeruntur, quorum in numero sunt omnes, qui aut cives nati, aut a populo honoris causa facti sunt, aut quorum adoptionem populus probavit quique omnia civium munera ferebant. Quo in titulo legitur: *ὑπαρχουσῶν τοῦ Ὀλυμέων δήμου τριῶν φυλῶν πρότερον καλουμένων νῦν δὲ συγγενειῶν τῆς τε Μωσσέων καὶ Κυβιμέων καὶ Κανδηβέων;* tit. 323 praeter has quarta nominatur *Σοαωνέων*, cui, cum ceteris singuli quaestores, bini sunt. Si autem quaerimus, cur in primo titulo quarta omissa sit (nam lacuna ibi non subest), duplicem causam proferre possumus; nam aut quarta tribus illo tempore omnino deerat, aut aliis inferior erat, ita ut ei non similia sacra essent. Quamvis illa ratio eo confirmari videatur, quod tit. 323 post 339 compositus sit, tamen ego alteram potiorem duco, cum tit. 338 (quem 339 esse juniorem certe demonstrari non potest) nomini cujusdam hominis addatur, eum *Τετράφυλον* fuisse, quod est demi significatio; cui rei accommodatum esse videtur, quod *Σοαωνεῖς* ultimum locum obtineant, cum ceterae tribus eodem semper ordine collocatae sint. Quum igitur prioribus tribubus nobiles seu qui ab oppidi conditoribus originem ducebant, continerentur, in quartam plebs, quae paulatim succrescebat, redacta est. Ut autem Olymaeorum tribus in topicis enumerarem, quam maxime me commovit, quod aliquoties scriptum invenimus *ἐν Κυβίμοις* (323. 324. 331 et al.), quod si haec tribus non certo quodam loco habitaret, fieri non posset; etsi me non fugit, iam ipsum *συγγένειαι* nomen, quod posteriore aetate acceperunt, rationemque sacrorum, quae iis propria sunt, eas non mere topicas fuisse, indicare, sed, ut similiter de Mylasensibus statui, ex parte gentilicias, ita quidem, ut gentes, quae ejusdem tribus

essent, uno loco habitarent; nam hoc modo solum fieri potuit, ut tribus a regionibus dici possent. Quod autem nomen *συγγένεια* attinet, non multum ante id temporis spatium, in quod omnes nostri tituli cadunt, in usum venisse videtur; cur autem nomen mutatum sit, non traditur. *Συγγένεια* etiam in loco, cui Lebasius »Hiéron de Neptune« nomen dedit, occurrit tit. 683 *ἡ συγγένεια τοῦ Τελεσίου* et *οἱ συγγενεῖς τοῦ Τελεσίου*, quam fortasse cum symmoriis Tejorum comparare licet. Praeter tribus populus in *πατρίας* quae phratriarum loco sunt, divisus erat, etsi etymologia est alia; condicio autem civitatis erat, ut omnes cives in tribuum et phratriarum album inscripti essent (tit. 334). Denique nomina vicorum seu demorum quorumdam comperimus: *Παρεμβωρδεῖς* 327. 328. 325. 336 bis. 338 quinquies 339. *Μαυνίτης* 327. 336 338. *Κορμοσκωνεύς* 336. 338 quater. *Ὀγδονεύς* 336. 338. *Τετράφυλος* 338 bis.

Teniorum novem tribus saepissime leguntur in tit. C. I. G. 2388, ubi tribus, cui quisque adscriptus est, nominibus addita est; quae sunt: 1) *ἐκ πόλεως*, 2) *Ἡρακλείδης*, 3) *Θεστιάδης*, 4) *Δονακεύς*, 5) *Ἐσχατιώτης*, 6) *Ἐλειούλιος*, 7) *Κλυμενεύς*, 8) *Ὀρυήσιος*, 9) *Ὑακινθεύς*, quarum nonnullae etiam alias exstant: *τῆς Ὑακινθίδο[ς φυλῆς* Rang II. 1321 = Ross. insc ined. II. 100, *φυλ]ῆς Ἡρακλειδῶν* Rang. II. 757. Böckhius, quod sex semestres magistratus (*πρυτάνεις*) Teniorum rei publicae praesint, duodecim tribus fuisse conjecit; et mihi hodie summo gaudio est, quod de iis rebus, quae princeps nostrae disciplinae materiae angustia exclusus tantum suspicari potuit, nunc auctis subsidiorum copiis, omnis paene dubitatio tollatur. In tit. 900 apud Rang. homo quidam *Γυραεὺς Ξένωνι Πίστου Δονακεῖ* praedium vendit; si autem verbi formam et praesertim locum, quem obtinet, quo respondet verbo *Δονακεῖ*, examinamus, decimam tribum *Γυραεῖς* esse

dubitare non possumus, quod Rossius cognovit; undecimam ex titulo apud Ross. II. 102 in lucem edere conor; *τὰ χωρία τὰ ἐν Ὑα]κινθικῷ καὶ τὰ ἐν Κέστρῳ.* Ita duobus his locis compositis, mihi quam maxime verisimile videtur, amborum eandem condicionem fuisse in re publica; nam si *Κέστρον* pars cujusdam tribus esset, haud scio, an non hujus tribus nomen additum esset ut in tit. 103 (Ross = Rang. 901) *ἐν Οἴῳ Ὑακινθικῷ;* ceterum fortasse etiam in tit. 102 (Ross) scribendum est *τὰ ἐν Οἴῳ Ὑακινθικῷ* quod Rang. fecit. Duodecimae denique tribus nomen titulo 99 inesse videtur .... *ολωνίου φυλῆς* sed ego omnino Rossii verbis assentior: »vehementer offendor, quod si apud Tenios exstitisset tribus ab Apollinis nomine appellata, ea potius *Ἀπολλωνία* sive *Ἀπολλωτίς* dicenda fuisset, qua re disjungenda vocabula sunt: *ἄρχοντος Ἀπ]ολλωνίου φυλῆς τῆς ..«* Praeterea per phratrias Tenii distributi erant, et quod jam aliquoties vidimus, etiam Teni omnes cives tribui et phratriae adscripti erant; nam in tit. 2330 et 33 quibus novi quidam homines civitate donantur, legitur: *καὶ πρὸς φυλὴν καὶ φρατρίαν προσγραφῆναι ὁποίαν ἂμ βούλωνται.* Tribus aliae ex gentibus (*Ἡρακλείδης Θεστιάδης*) aliae e regionibus (*ἐκ πόλεως Δονακεύς*) appellatae sunt, qua e re tribules certo loco habitasse intelligimus; nomina autem ex gentibus, quae in iis antiquissimae erant et auctoritate quam maxime florebant, aut ex regione qua habitabant tribubus indita sunt, quamquam etiam hoc accidere potuit, ut primum a gente locus, deinde a loco tribus nomen acciperet. Omnes autem tribus in agro Teniorum certam sedem habuisse, ostendunt: *ἐν Δόνακι* C. I. G. 2338 v. 21. *ἐν Ἡρακλειδῶν* ibidem v. 29. 66. 68. *ἐν Ἐλειουλίῳ* 102. 104. 107. 120. *ἐν Ὑακίνθῳ* 115. 117. Ross. 102. Reliquum est, ut de pagis vel demis, quid mihi innotuerit, componam: *ἐν Ἐλαιοῦντι* 2338 v. 18. 42. 61. Ross. 103 *ἐν ἄστει,* quod cum urbana tribu non con-

fundendum est, ipsumque in complures vicos »*τόνους*« divisum erat, quorum septem vel plures fuerunt 2338 v. 36. 110. 123. *ἐν Κιμίκ[ῳ?* v. 49. *ἐν Κυαμ?* v. 66. *ἐν Σα . ήθων.* 71. *ἐν Αἰσιλεῖ* v. 81. 82. 89. *ἐν Ἠρίστῳ* v. 99. *ἐν Οἴῳ Ὑακινθικῷ* Ross. 103. Rang. 901. *ἐν Παμησα . .* 14. 19. *ἐν Νοτιαδῶν*, quem demum nihil aliud quam gentem esse intelligis.

Ex parte topicae tribus Phocaeenses fuisse videntur, quarum reliquiae sunt: *ἡ Τευθαδέων φυλή* C. I. G. 3415, *Ἀβαρνεῖς*, qui sunt apud Hesychium: *Ἀβαρνεύς· Φωκαέων φυλή*, qui ab oppido dicti sunt, si Hesychio fides habenda est: *Ἄβαρνος πόλις Φωκαέων;* cetera nomina mutilata sunt: C. I. G. 3414 verba *Τερ[η . .]ων φυλῆς* servata sunt; Böckhius nummum adfert, ita ab Eckhelio descriptum: »Mulier humi et super aquas sedens, juxta scriptum TEPH. Dubium non videtur Teram nomen esse fontis Phoceae vicini et per religionem sacri« (D. N. pars I. vol. II. p. 535[b]); tribus igitur nomen a rivo Tera (si in nummo nomen integrum incisum est) ductum est; denique in tit. 3414 (in addendis) exstat: *τῆς . . . . λειδῶν [φ]υ[λῆς]*, quae ex gente dicta est, — Sardibus sola *φ[υ]λὴ Τυμωλίς* oblivione non obruta est, (C. I. G. 3451) quae ad Tmolum montem referenda est; de forma vide Steph. B. v. *Τύμωλος· οὕτως ὁ Τμῶλος κατὰ ποιητικὸν μετασχηματισμόν;* indigenam autem verbi formam »*Τύμωλος*« esse, recte Böckhius statuit.

V.

Collegia opificum tribuum nomine fuerunt Philadelphiæ in Lydiae urbe, quae quidem non minus sacrae quam alibi gentiliciae habebantur; quarum duarum modo nomina ad nos pervenerunt: *ἡ ἱερὰ φυλὴ τῶν Ἐριουργῶν* (C. I. G. 3422) et *ἡ ἱερὰ φυλὴ τῶν σκυτέων.* Sed certe septem vel plures

fuisse intelligimus ex tit. C. I. 3422: *φυλαῖς ἑπτὰ ταῖς ἐσταχυίαις τοὺς ἀνδριάντας*. Ibidem *κώμη* quaedam servata est: *ἡ Μυλειτῶν [κώμη*, quod Böckhius conjecit ex verbo *κωμάρχων*, quod sequitur.

Similia collegia Thyatirae tribuum loco instituta erant, quae, etsi tribus non appellantur, tamen non inferiore condicione fuerint, necesse est, quum et suum proprium aerarium habuerint et ipsum Aurelium Antoninum imperatorem decreto honoraverint (C. I. G. 3485). Sex autem in titulis horum collegiorum exstant: *οἱ ἱματευόμενοι* 3480, *οἱ βαφεῖς* 3496—3498 i. e. purpurarii; huc Böckhius act. apost. XVI. 14 refert, ubi Lydia *πορφυρόπωλις πόλεως Θυατείρων* Paulum apostolum domum recipit, *οἱ Κεραμεῖς* 3485, *οἱ βυρσεῖς* 3499, *οἱ ἀρτοκόποι* 3495, *οἱ λινουργοί* 3504. Monendum praeterea est, duas hasce Lydiae urbes esse; unde haec collegia haud Graecae originis esse suspicari licet; quo spectat, quae de Alyattis tumulo tradit Herodotus, in quo quinque columnae positae erant, quibus, quantum quodque opificum quinque collegiorum in opere effecisset, significabatur (Her. I. 93).[1])

VI.

Uno loco eas civitates collocamus, ubi divisiones ex numero civium, quos amplectebantur, nomina duxerunt. Et in hac quidem difficillima quaestione mihi Vischeri disputationem sequi contigit, quae est in Mus. Rhen. n. F. XXII. p. 315 sq. Themistagora auctore (Et. Magn. v. *Ἀστυπάλαια*) Procles et Tembrion, quum Samum coloniam deducerent, ad Chesiam fluvium primis sedibus collocatis, duas tribus Chesiam (sic et non Schesiam legendum esse Vischerus docet ex titulo quem edidit ibid. p. 325) et

[1]) Similia quaedam collegia, quae tamen non pro tribubus fuisse videntur, composuit Gelzer Mus. Rhen. XXVII. p. 464.

Astypalaeam instituerunt; a scholiasta ad Nicandr. Alexipharm. 151. Χησιεῖς vetustissimi incolae dicuntur, ad quos deinde Astypalaeenses accesserunt; tertia Aeschronia est apud Herod. III. 26, ubi, qui majorem Libyae Oasim teneant, Samios τῆς Αἰσχρωνίης φυλῆς fuisse traditur. Ex iis, quae adhuc exposuimus, Samiorum tribus regionatim descriptas fuisse intelligimus. De harum tribuum partibus omnis nostra cognitio fluxit ex tit. ibidem edito, quo Diocles Gelous proxenia et civitate donatur, in cujus decreti fine haec sunt: καὶ ἐπικληρῶσαι αὐτὸν ἐπὶ φυλὴν καὶ χιλιαστὺν καὶ ἑκατοστὺν καὶ γένος. Primum quaeritur utrum χιλιαστὺς (i. e. societas quae ex mille) et ἑκατοστὺς (i. e. societas quae ex centum hominibus composita est) et γένος tres partes tribus fuerint, an verbis χιλιαστὺς καὶ ἑκατοστύς aliae civitatis partes, praeter tribus, quae per gentes divisae erant, significentur. Quam quidem controversiam Hesychius dijudicare non potest, apud quem legitur: χειλιαστύες αἱ φυλαί et apud eundem: ἑκατοστὺς ὡς χιλιοστὺς συγγένεια. Vischero, cui libenter assentior, illa sententia magis placuit, etsi omnem in hac re dubitationem tolli posse, optimo jure negat; praesertim cum eandem haesitationem Erythraeus lapis movere possit (ibid. 326), in quo ἡ χιλιαστὺς ἡ Χαλκιδέων tribus loco esse videtur, si Pausaniam (VII. 5. 12) conferimus: Ἐρυθραίοις δὲ ἔστι μὲν χώρα Χαλκίς, ἀφ᾽ ἧς καὶ τῶν φυλῶν σφίσιν ἡ τρίτη τὸ ὄνομα ἔσχηκεν, quem pro »χιλιαστύς« quod erat Erythris proprium nomen, commune posuisse Vischerus judicat, neque id tamen negat, τὴν χιλιαστὺν τὴν Χαλκιδέων etiam pro parte tribus Χαλκιδέων (seu Χαλκίδος?) haberi posse, cum et Tei turres et symmoriae, quibus idem nomen sit, occurrant. Quod in medio relinquendum est. E Pausania Erythraeorum tribus tres vel plures fuisse intelligimus, quae certo quodam ordine sese excipiebant; et quum Χαλκιδέων tribus a pago agri Ery-

thraei dicta sit, etiam reliquas a regione petitas fuisse verisimile est. Jam ut ad Samiorum res revertamur, dubium est, fuerintne *χιλιαστύες* et *ἑκατοστύες* millenae et centenae gentes an familiae. Quum autem vix credi possit, fuisse Sami sex milia gentium, qui numerus evenit, si tres tribus et in singulis tribubus binas modo *χιλιαστύας* fuisse sumimus, cum ipsis Athenis non plures CCCLX fuerint, *χιλιαστὺν* et *ἑκατοστὺν* familiarum numerum indicare statuimus. Neque, quod Philippius conjecit aspernandum est, singulas gentes, quarum unam Vischerus in verbo *Βουπλευράδης* perspexit, ex decem familiis constitisse. Nihilo minus, his etiam concessis, totam rationem, qua cives divisi erant, cognoscere nequimus, quum et quot *χιλιαστύες* tribum effecerint et ipsum tribuum numerum nesciamus.

Sententia, quam secutus sum, iis aliquantum confirmatur, quae de Lampsacenorum institutis servata sunt. Est enim in C. I. G. tit. 3641 b: *τοὺς πολίτας πάντας κατὰ φυλὰς καὶ ἑκατοστῦς γεγραμμένους;* ex quo Lampsaci civium tabulas fuisse similes videmus atque Athenis, ubi per phratrias et demos inscripti erant; *ἑκατοστῦς* autem phratriarum et non demorum loco fuisse inde colligo, quod infra (versu LXVI) *κώμαρχοι* commemorentur; Lampsaci igitur tribus et *ἑκατοστύες* gentiliciae, *κῶμαι* topicae divisiones erant. Post haec exempla etiam Methymnae *χέλλῃστυς*, quae Lesbica verbi est forma, pars tribus fuisse videtur, quamquam si quis, quae de Erythris dicta sunt, etiam hic adhiberi velit, certis argumentis refelli non potest; habemus autem: *ἁ χέλλῃστυς ἁ Ἐρυθραίων τὸν . . . χελλῃστυαρχήσαντα.* 2168 b et: *ἡ φυλὴ ἡ Αἰολὶς στεφανοῖ Ἀριστοφάνην φυλαρχήσαντα* (Conze Reise auf Lesbos p. 237. 12).

Omnes autem tituli, quibus *χιλιαστύες* aut *ἑκατοστύες* commemorantur, inferioris aetatis sunt, ita ut etiam in-

stituta illa recentiora esse videantur. Cum igitur veteres divisiones obsolevissent, has novas ad exemplum illarum gentiliciarum institutas esse facile credas (Vischer l. l. p. 327).

VII.

Jam eas civitates compono, quarum tribus aut gentiliciae, aut certe non topicae sunt; nam cum, quae de his rebus traduntur, tenuissima sint, saepe rationem, qua cives descripti sint, cognoscere nequimus. — Medium quendam locum Chalcedon occupat, cujus tribus habes in tit. 3794: *Πολητήα*, quod nomen Böckhius, dubitanter quidem, verbis *ἐκ πόλεως* illustrat, *Καλλιχορεᾶται* (Böckhio fons nomine *Καλλίχορον* prope Eleusina in mentem venit) *Ἱππωνήα* ab heroe dicta, *Τρίασπις*, *Σεπρο ... Ἀτθίς*, *Ἀσωποδω[ρήα]* ab heroe dicta. Tribus autem decem fuisse inde collegit Böckhius, quod decem fuerint aesymnetae adnumeratis duce senatus (*ἀγεμών*) et scriba senatus.

Tegeae quattuor Apollinis Agyieos statuas positas esse a quattuor tribubus dedicatas tradit Paus. VIII. 53. 6. quarum nomina fuerunt: *Κλαρῶτις Ἱπποθοῖτις Ἀπολλωνιᾶτις Ἀθανεᾶτις*. In titulo C. I. G. 1513, quo victores Olympicorum ludorum, Tegeae celebratorum enumerantur, nomina haec sunt: *Ἱπποθοῖται, ἐπ' Ἀθηναίαν* (sc. *πολῖται* et *μέτοικοι*) *Κραριῶται Ἀπολλωνιᾶται; κρᾶρος* pro *κλᾶρος* vestutior forma est, quam habes in *Ναυκραρία* etc. Interpretatio Pausaniae: *καλοῦνται δὲ ἀπὸ τοῦ κλήρου ὃν τοῖς παισὶν Ἀρκὰς ἐποίησεν ὑπὲρ τῆς χώρας* tamquam fabulosa rejicienda est et Böckhio prorsus assentiendum, qui inde appellatam tribum esse putat, quod fundos (*κλήρους*) certis legibus exercebant, quare eos homines inferioris olim condicionis fuisse, quos confert cum Cretensium clarotis (Ephorus apud Athenae. VI. 263), postea autem in civitatem receptos esse conjecit. De talis

condicionis hominibus apud Arcades testis est Theopompus (Athen. VI. 271) *Θεόπομπος Ἀρκαδίους φησὶ κεκτῆσθαι προςπελατῶν ὥσπερ εἱλώτων τριάκοντα μυριάδας* (si vitium in textu non subest). Mirum est quod, quae est apud Pausaniam *Ἀθανεᾶτες* tribus, in titulo dicatur *ἐπ' Ἀθαναίαν*, quare tribules *οἱ ἐπ' Ἀθηναίαν* vocati esse videntur. Praeterea Tegeae novem demos enumerat Pausanias VIII. 45. 1: *Γαρεάτας καὶ Φυλακεῖς καὶ Καρυάτας τε καὶ Κορυθεῖς ἔτι δὲ Πωταχίδας καὶ Οἰάτας Μανθυρεῖς τε καὶ Ἐχευήθεις;* sub rege Aphidante nonus accessit *Ἀφείδαντες*.

Ilii decem tribus fuisse subtilissime ex eo collegit Böckhius (ad. C. I. G. 3599), quod cum fructus CCIↃↃ IↃↃ drachmarum inter tribus dividantur, singulis CL eveniunt; quarum nomina tria exstant: *Ἀλεξανδρίς* dicta ex Alexandro Magno, qui magna in urbem beneficia contulerat, *Ἀτταλὶς* ab Attalo I nominata, *Πανθωΐς* ab heroe Trojano appellata Polydamantis et Euphorbi patre. Tribubus *φύλαρχοι* praeerant (C. I. G. 3599); tum omnes cives phratriis adscripti erant, quique novi recipiebantur tribui et phratriae, cui volebant, adsciscebantur, quod ex tit. 3596 intelligis: *ἐξεῖναι αὐτῷ καὶ εἰς φυλὴν καὶ φρατρίην, ἣν ἂν βούληται ἐ[γγράψεσθαι.*

Smyrnae qui civitate donabantur, sorte tribui alicui assignabantur et in civium tabulas *κληρωτήρια* dictas, quia quodam tempore nemo, qui fundo carebat, civis esse poterat, inscribebantur, quae sunt lexiarchici Atheniensium loco; una, quam ex summa titulorum copia notavi, est *φυλὴ Ἀμμωνίς* quam in honorem Ammonis, qui Alexandri urbis restitutoris pater ferebatur, nomen accepisse puto. Pro demis Smyrnae sunt *χῶροι* et *κῶμαι*, quorum decreta exstant apud Lebas. 1534: *οἱ χωρῖται τῶν Ζελειτῶν* et: *οἱ κωμῆται οἱ Συκηνῶν στεφανοῦσι ἰδίῳ στεφάνῳ. . .* Quid autem intersit inter *χώρους* et *κώμας*, non liquet.

Philippopoli Artemisias (C. I. G. 2047) et *Κενδριοσεῖς* tribus (2049) servatae sunt. — Jam quaedam Asiae urbes enumerandae sunt, quae aut a barbaris conditae et in barbarorum terris sitae, quum Asia ab Alexandro Magno Graecos mores et Graeca instituta acciperet, Graecorum etiam civium descriptiones sequebantur, aut, quae a regibus post Alexandrum conditae sunt:

Ancyrae urbis fundamenta Midas rex jecisse traditur; quum autem Asia Graecis aperta esset, omnino Graeca urbs facta esse videtur, quod ex monumentis a Perrotio editis et ex nova tribuum institutione, quae fortasse veteribus populi divisionibus partim accommodata est, intelligimus. Tribus Ancyranae numero designantur adjecto plerumque nomine peculari (Franz. C. I. G. III. p. 76). Qui fuerit numerus non pro certo poni potest, equidem duodecim fuisse conjicio, quum quae undecimam excedat, non commemoretur, si quod in tit. 4018 apographo est: *φυλὴ* $\overline{\mathit{\Delta I}}$ cum Franzio in lapide $\overline{\mathit{\Delta}}$ fuisse concedis; quod autem in tit. 4017, ubi in lapide solum legi potest *φυλὴ ΙΙ* Franzius *ΙΓ* emendavit rejiciendum est, atque mea quidem sententia scribendum *ΙΒ*; cur enim tertiam decimam introduxerit, quum quartam decimam rejecisset, non intelligo. Quae ad nos pervenerunt tribus ordine numerorum, quibus significantur, compositae fere hae sunt: *φυλὴ γ. Μηνοριζειτῶν* 4021. *φυλὴ Δ?* 4018 aliud nomen non additur, *φυλὴ* $\bar{\varepsilon}$ *Διεγεζων* (nomen corruptum est) 4020. *φυλὴ* $\bar{\varsigma}$ *Σεβαστή* 4027 et 4031, ubi numerus omissus est. *φυλή* $\bar{\eta}$ 4022 quae 4032 est *φυλὴ ὀγδόη Κλαυδία Αὐρηλία*, *φυλὴ Ἱερὰ βουλαία* 4024 *ἐνάτη* dicta 4025 et 4028. *δὶς φυλαρχήσας φυλῆς ἐνάτης* 4069. *φυλή* $\overline{\iota\alpha}$ bis 4019. *φυλὴ* $\overline{\mathit{I\beta}}$ *Καλαθηναία* 4017. Praeterea tres sunt, quarum numeri perierunt: *Μαρουραγήνη* 4025, *φυλὴ Νερουανή* Perrot. 125. *φυλὴ Διὸς Ταυριανοῦ* Perrot. 126. Si igitur universae duodecim erant, una nobis deperdita est. Ad tribus An-

cyranas pertinet etiam titulus a Kirchhoffio editus in annal. del. inst. XXXIII. 184: *φυλ[αρχήσαντα... φ]υλ[η.. φυλ]αρχοῦντος* quibus ex fragmentis nihil addiscimus.

Prusiade ad Hypium duodecim tribus hoc ordine positae sunt in tit. 22 apud Perrot:

φυλῆς Σεβαστηνῆς	*φυλῆς Τιβεριανῆς*
Θηβαΐδος	*Προυσιάδος*
Γερμανικῆς	*Ἀδριανῆς*
Σαβεινιανῆς	*Μεγαρίδος*
Φαυστεινιανῆς	*Ἰουλιανῆς*
Διονυσιάδος	*Ἀντωνιανῆς*

apud Lebas. 1177 altera columna eundem ordinem sequitur in priore autem est *Φαυστ. Σαβ. Διονυσ.* — Quarum tribuum quattuor *Θηβαΐδα Διονυσιάδα Προυσιάδα* (ab urbis conditore dictam) *Μεγαρίδα*, (quae nomen a Chalcedoniis vel Byzantiis, qui in primis incolis fuisse videntur, duxit,) Perrotius statim ab initio institutas esse censet, ceteras quum Bithynia iam sub Romanorum potestatem venisset (a. LXXIV a. Chr. n.); quae sententia probanda esse videtur. Apud Leb. 1176 eodem quo apud Perrot. ordine enumerantur; quamvis autem lapis in inferiore parte mutilatus sit, ita ut in utraque columna quattuor modo nomina relicta sint, quintum tamen versum integro lapidi non defuisse, ex reliquiis in infimo margine certum est. Qua re ductus Waddingtonius hoc titulo decem solum tribus fortasse commemoratas esse putat, ita ut, quum hic lapis poneretur, decem tribus Prusiade institutae fuerint. In prima igitur columna nulla nisi *Φαυστεινιανή* deesse posset, in altera aut *Ἀντωνιανή* aut *Ἰουλιανή*. Sed hae a M. Antonio, et quod est quam maxime probabile, a C. Julio Caesare nominatae Sabiniana, quae est in priore columna, iuniores esse non possunt; quum igitur cogitari non possit, Sabinianam institutam fuisse ante Julianam et Antonianam, etiam in hoc titulo duodecim fuisse necesse est; cumque

hic titulus in iis quae servata sunt cum Perrotiano consentiatur, ordo tribuum legitimus is esse videtur, quem habemus apud Perr. et Leb. 1176. Quo ex homine dicta sit *Γερμανική*, dubium est, quum autem ceterae omnes ex imperatoribus seu eorum uxeoribus appellatae sint, *Γερμανικὴν* in honorem Caracallae dictam esse, quae est Waddingtonii sententia, probabile est, praesertim cum omnes hi tituli satis recentes sint, quod ex multis Aureliis, qui in iis occurrunt, perspicuum est. *Φαυστεινιανή* utrum ad Antonini Pii an ad M. Aurelii uxorem referenda sit, in dubio relinquitur. *Φυλὴ Σεβαστηνή* praeterea exstat apud Leb. 1178 *Ἀντωνιατή* in tit. saeculi tertii p. Chr. n. apud Perrot. 20 et apud Lebas. 1111.

Nicomediae (Bithyn.) quum sex magistratus (*ἄρχοντες*) C. I. G. 3773 enumerentur, sex tribus fuisse Böckhius putat, quarum unam Posidoniadem habes l. l. 3774—76. Aezaniae in Phrygiae urbe exstant: *ἡ Ἡρακλεὰς φυλή* C. I. G. 3831 [a] = Leb. 812, *τὴν λεγομένην κώμην Πάλοκα* Leb. 857, *φύλαρχον* C. I. G. 3773 = Leb. 880; Trallibus: *φυλὴ Καίσαρος* C. I. G. 2947 ex Augusto denominata et *Ὀκταβία Ἀπολλωνίς*, aut quod minus probabile est *Πωλλιωνίς*. Antinoae in oppido Aegypti ab Hadriano condita: *φυλῆς Ἀθηναΐδος*. Adrianopoli: *φυλή* | *Ἀπολλωνίς*; Böckhius | pro *δεκάτην* esse putat, Leb. descripsisse videtur *ΦΥΛΗΑ ΑΠΟΛΛΩΝΙΣ* sed in tabula *Α* omissum est, ut, quid justum sit, intelligere non possim; Eumeniae: *φυλῆς Ἀθηναΐδος σημειογράφος* i. e. librarius; Acmoniae (Phrygiae) *φυλὴ Ἀσκληπιάς* C. I. G. 3858 [d] = Leb. 758.

VIII.

Hoc capite abruptae quaedam reliquiae, quas undique collegi, continentur. Nonnullis enim locis tribuum mentionem habemus, sed nomina ad nos non pervenerunt.

Messaniorum duas tribus a. CCCCXXVI ad Mylas ab Atheniensibus caesas esse tradit Thucydides (III. 90. 3 Kr.); quae utrum Doricae fuerint an aliae quaedam, ego non decerno, quia Messana jam aliquoties cives mutaverat aut magnas novorum multitudines receperat. In Sicilia praeterea glandes repertae sunt, quas Mommsenus composuit (Zeitschr. f. Alterthumswissenschaft 1846, cf. ibid. Bergkii notam) quibus tribus numerus et phratriae nomen inscripta sunt, quae ordinem militum, qui hisce glandibus utebantur, designant. Phratriae autem, quae fuerint, cognosci non potest, quum ternis vel quaternis modo litteris notatae sint. Hae quidem glandes fortasse Doricae civitati assignandae sunt, quum tribuum numeri tertiam non excedant. Jasi novis civibus sorte tribus assignabatur, in quam reciperentur cf. C. I. G. 5671 v. 63 *ἐπικλαρῶσαι δὲ αὐτοὺς ἐπὶ φυλήν;* verba autem *ἄν κα βούλωνται* quae suppleri Böckhius vult, suspicionem movere Vischerus ostendit l. l. p. 323. In Creta insula autem mutua beneficia, quae Hierapytini et Priansii in se conferre constituunt, ad »*ἐμφύλους*« solos pertinere pactum est, peregrini et facticii excluduntur. In Thespiaco tit. (Leb. 411) *τον επω* / *φ⁻λαρχι* *φύλαρχος* latere videtur, in Oropico (Leb. 472) *φυλᾶς* sive *φυλάς* legi potest. Laodiceae Combustae habes: *οἱ προστάται τῶν φυλῶν* C. I. G. 3990 b. Aphrodisiade Cariae: *ἀναθέντες εἰς διαδόσεις καὶ στεφανώσεις τῇ βουλῇ καὶ ταῖς φυλαῖς καὶ προκλήροις .. ἀπὸ * μυρίων χειλίων* (Leb. 1603). Bithynii *φυλὴ[...* quendam honorat. Caryandis sacrorum tribus, cujus nomen non exstat, mentio fit, et ejus qui sacris illis faciendis praeest, qui dicitur *ταυραφέτης* Leb. 499.

Addo quasdam civitates, quarum tribus aetatem non tulerunt, sed solum pagi; qua in re in mentem mihi non venit, quod cogitem, tribus hisce locis omnino non fuisse, sed in parcis reliquiis quae ad nos pervenerunt, nihil

nisi demi supersunt. Est in marmore Ceio apud Rang. 2025 *δῆμος Κολωνεῖς*, quod autem ex propingua Attica allatum esse videtur. Coorum demi complures servati sunt apud Ross. inscr. ined. II et III; in universum de demotis agit II. 175; ubi mutilatum est verbum ..*μ*..*άρχου*, quo Rossius *δαμάρχου* vel *κωμάρχου* latere putat, sed ubi *δᾶμος* est pars civitatis, *κώμαρχοι* locum habere non possunt; singuli autem demi sunt: *ὁ δᾶμος ὁ Ἰσθμιωτᾶν* n honorum decreto III. 303, et 305 cf. tit. 304 *Ἰσθμὲ παλαιγενέος νήσσου πέδον ἄφθιτε δῆμε.* et 306; alter, quem noscimus: *ὁ δᾶμος ὁ Ἀντιμαχιδᾶν καὶ Αἰγηλῶν καὶ Ἀρχιδᾶν* »e tribus gentibus appellatione patronymica conflatus est« secundum Rossium; Antimachia autem Coi oppidum est apud Plut. quaest. gr. 58. Alexandriae in Aegypto demum fuisse, cujus nomen erat *Λητωεύς* ex Tryphone apud Steph. s. v. cognoscimus: *δῆμος ἐν Ἀλεξανδρίᾳ ὡς Τρύφων ἐν τῷ περὶ παρωνύμων;* nam Alexandriam, omni definitione omissa, Aegypti urbem esse, probabile est. Orcisti Phrygiae habes: *ὅρος Ἀττίου κώμης* C. I. G. 2822 b4, deinde *κωμήτῃ* 2822 c2, (ibique quattuor sunt *ἄρχοντες*), Synai Lyciae demum »*Τηλεφιανός*« (Leb. 1004 et 1006) quo confirmatur Stephanus v. *Τηλέφιος· δῆμος καὶ Τηλέφου κρήνη Λυκίας*, ubi Menaechmo auctore Telephus vulnus lavisse ferebatur. Fortasse huc referendus est lapis Aperlis Lyciae repertus (Leb. 1290) ... *ἐτείμησαν Ἀπερλειτῶν ὁ δῆμος καὶ οἱ συμπολιτευόμενοι αὐτῷ Σιμηνέων καὶ Ἀπολλωνειτῶν καὶ Ἰσινδέων δῆμοι,* quamquam potius quattuor civitates in unam redactae esse videntur. Pro demis *χῶροι* fuerunt (cf. sub Smyrna) Gergithae in Mysiae oppido. In lapide (1743 Lebas.) duodecim coronae incisae sunt, in quarum septem haec nomina leguntur: *ὁ χῶρος ὁ Μοττιανῶν, Βαιστεανῶν Τρινοξειτῶν Ἀγεανῶν... δ[α]νῶν Ἰλβειτηνῶν Ὑχαντηνῶν;* duodecim *χώρους* fuisse ex coronarum numero intelligitur.

Qnibusdam in civitatibus phratriarum modo notitia ad nos pervenit: In decreto, quo Thasii hominibus quibusdam civitatem dant (C. I. G. 2161), haec formula adhibetur: *ἰέναι αὐτοὺς καὶ ἐπὶ πάτρην ἣν ἂν πείθωσι; πάτρα* et *φρατρία*, quod rem attinet non distinguendae sunt (cf. supra), quamvis alterum a *πατήρ* alterum a *φρητήρ* dictum sit; ambobus verbis societas quaedam significatur, quae sanguinis necessitudine efficitur. In lapide admodum laeso qui Aegis, in Mysiae oppido repertus est, legitur: *ἡ] φράτρα ἡ Περιδι.........ἀνέθηκαν κίονα Διὶ σωτῆρι;* in lacuna plus una phratria periisse in promptu est.

Neapoli complures phratrias fuisse ex titulis quibusdam cognoscimus, de tribubus autem nihil traditur, ita ut quaeri possit, fuerintne omnino tribus aliquando Neapoli; quod ego negare non audeo, quia haec institutio omnibus fere Graecorum civitatibus communis esse videtur; sed hoc fieri potuit, ut Neapoli tribus mox obsolescerent atque tollerentur. Strabo enim, qui non pauca Italica instituta in urbem irrepsisse tradit, *γυμνάσια τε καὶ ἐφηβεῖα καὶ φρατρίας καὶ ὀνόματα Ἑλληνικὰ* servata esse dicit (246), unde tribus Strabonis aetate aut plane abfuisse aut certe nullius momenti fuisse collegeris. Eponymus rei publicae demarchus erat (C. I. G. 5790, I. R. N. 2444. 2455. 2454. 2447) quorum magistratuum nomina 'in tabulis conscripta Strabonem vidisse statuo ex ipsius verbis (cf. ibid.) *μηνύει δὲ* (multos, scilicet, Campanos in urbem receptos esse) *τὰ τῶν δημάρχων ὀνόματα τὰ μὲν πρῶτα Ἑλληνικὰ ὄντα, τὰ δ' ὕστερα τοῖς Ἑλληνικοῖς ἀναμὶξ τὰ Καμπανικά.* In titulo apud Gruterum p. CCCCXXXIX I. R. N. 2455 (ad quem Franzius me perduxit) legitur: ... ob quae testimonia amoris sincerissimi reg. (i. e. regio) primaria splendidissima Herculanensium patrono mirabili statuam ponendam decrevit.« Unde fuerunt, qui regiones posteriore tempore in phratriarum locum successisse pu-

tarent; sed bene contra monet Franzius, Campanos in civitatem receptos (quod factum esse, auctor est Strabo l. l.) non phratrias, ut qui veteribus sacris conjuncti erant prisci coloni, sed regiones effecisse, — θεοὶ autem, qui dicuntur πατρῷοι, ii putandi sunt Franzio interprete, a quibus gentes singulae sese ortas esse gloriabantur, quum θεοὶ φρήτριοι sive φρήτορες »ipsis phratriam constituentibus praeesse« crederentur. »Eumelos igitur θεὸς πατρῷος Eumelidarum phratriae, quod Eumelidae ab Eumelo originem ducebant, sed simul iis est phratrius, quia ipsorum praeest phratriae (C. I. G. III. p 714 sq.); dii patrii autem ii sunt, qui ab universa civitate colebantur, ut Neapoli Apollo et Ceres.« Jam, quae exstant, phratrias enumero: ἡ φρατρία ἡ Εὐμηλειδῶν ab Eumelo Adrasti filio dicta (C. I. G. 5786. 5805), ἡ φρατρία ἡ Ἀρισταίων 5785, Θεωτάδαι 5787, Κυμαῖοι veteres Cumani 5788, Παγκλεῖδαι 5789, Ο[ἰνω]να[ῖ]οι? 5797, Ἀρτεμίσιοι 5798, Εὐνοστίδαι 5818, Ἀντινοῖται 7166 in honorem Antinoi idest in gratiam Hadriani instituta.

Addenda.

Ad p. 7: *Κεραμέων τριττύς* C. I. A. 500 *Ἐλευσινίων τριττύς* et *Περαιῶν τριττύς* C. I. A. 517. 518.

Ad p. 33: In Byzantiorum decreto C. I. G. 2060 haec leguntur: *εἶμεν δὲ αὐτὸν καὶ πολείταν καὶ τοὺς ἐγγόνους αὐτοῦ, καὶ ποτιγραφῆμεν ποθ' ἂν κα θέλῃ τᾶν ἑκατοστύων.*